

bus, &c. qui omnes varij effectus a cælo duntaxat quiescente producunt videntur. Scio philosophos respondere, hanc diuersitatem effectuum in eodem climate pendere totam ex varia dispositione terræ: sed instant auctores prædicti, cum terra disponatur vario a varijs aspectibus corporum superiorum, non poterit reddi sufficiens causa, cur in eodẽ climate eadem non sit dispositio, quandoquidem omnes partes eiusdem climatis respectu cælorum mobilium eosdem habeant aspectus successiue. Verum enim vero quicquid dicatur hac de re, hoc certum esse debet, sine magna temeritate non negari posse cælum Empyreum, quod est immobile, eo quod iam communis Theologorum schola illud admisit.

STATVIMVS ergo, in vniuersum esse vndecim cælos, decem qui dẽ secundum Astronomos mobiles, vnum vero ex sententia Theologorum immobile prorsus. Ratio autem, propterquam decem cælos mobiles admittimus, perspicua erit, quando pertractabimus, quamam industria inueniri fuerint decem distincti motus. Quam ob rem nunc ad motus cælorum explicandos accedamus.

DE MOTIBVS ORBIVM CÆLESTIVM.

AUCTORES, qui vnum duntaxat cælum esse credunt, omnem motum a Cælesti orbe excludunt, quamuis non eodem modo omnes. Quidam enim nullum corpus cæleste moueri asserunt, sed in eodem loco semper permanere: Videri tamen nobis moueri stellas ab oriente in occidentem (Hunc enim motum diurnum nulla ratione negare possunt, cum quotidie Solem, & reliqua sydera oriri, & occidere ceramus) propter motum terræ, quem, vt aiunt, habet ab occidente in orientem. Nam quemadmodum ei, qui in flumine aliquo celeri nauis cursu deferatur, videntur arbores, domus, & omnia in fluminis ripa posita obuiam venire, quasi ipse prorsus perstaret immobilis, reliqua autem omnia mouerentur: Ita etiam nobis in terra existentibus contingit. Quoniam enim terra nobiscum mouetur ab occasu in ortum motu rapidissimo, videtur nos quiescere, & stellæ in contrariam partem, nempe ab ortu in occasum, moueri, cum tamen ipse omnino sint immobiles, nos autem moueamur, vt dictum est. Verum hæc sententia nullius prorsus est momenti, & omnino ridicula existit. Si enim vera esset, perpetuo inter alia idem situs, ordo, ac distantia cerneretur, quod est contra omnem experien-